



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XV. Quid significet pasce. Ioan.21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

uersario suæ assumptionis: Ideo Petro hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesia Rectoribus Petri forma præponitur.

CAPVT · XV.

Quid significet, PASCERE, Ioan. 21.

PAM VERO cùm constet, Petrum esse cui dicitur *Pasce oues meas*; sequitur, vt quid significet hoc ipsū, pascere, videamus. Martinus enim **L V T H E R V S** in libro de potestate Papæ, contendit, per illam vocem, *Pasce*, nullam dari nouam potestatem, sed tantum iniungi officium diligendi, prædicandi, & docendi Petro, qui iam antea constitutus erat Apostolus, & Pastor, non quidem Ecclesiæ vniuersæ, sed cuiusdam portionis, quemadmodum & ceteri Apostoli & Pastores. Id verò his rationibus probat.

- » **PRIMVM**, pascere, non est præesse, sed cibum præbere,
 » ministrare; quod etiam ab inferiore fieri potest: non igitur
 » continuò instituitur Præful, cui dicitur, *Pasce*. **DEINDE**, non
 » imperat Dominus Christianis, vt obediant Petro, sed imperat
 » Petro, vt præbeat alimenta Christianis: igitur ministrare
 » non princeps, per hoc verbū, *Pasce*, constituitur. **P O S T R E M O**,
 » si per hæc verba institueretur pontificatus, sequeretur
 » non esse Pontifices eos, qui non diligunt, aut non pascunt.
 » proinde sæpe nullum Pontificem haberemus. Maior enim
 » Pontificum pars, neque diligit gregem, neque eum verbo
 » exemplo pascit. quare non Pontificis institutio, sed simple
 » præceptum diligendi & docendi hoc verbo, *Pasce*, continetur.

AT NOBIS difficile non erit ex hac ipsa voce, *Pasce*, demonstrare summam potestatem illi attribui, cui dicitur: *Pasce oues meas*.

PRIMVM enim, non propriè dicitur pascere alium, qui cibum quacunque ratione ministrat: sed qui procurat ac prouidet alteri cibum: quod certè præpositi & gubernatoris est: *Quis putas*, inquit Dominus Luc. 12. *est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, &c.

det illis in tempore tritici mensuram? Itaque illius est pascere, qui est super familiam constitutus.

DEINDE per verbum, *Pasce*, intelligitur ex communi usu loquentium omnis actus pastoralis. Idem enim est pascere, quod agere pastorem, siue esse pastorem. Porro actus pastoralis non est tantum præbere cibum, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare. Quid? Pastores ouium num solum pabulum illis præbent? nõne etiam regunt, & baculo cogunt vt pareant? Hinc videlicet in Scripturis passim, pascere, accipitur pro eo, quod est regere, vt Psalm. 2. vbi legimus: *Reges eos in virga ferrea*. In Hebræo מַרְעִים id est, pascas eos. Et sanè qui pascuntur in virga ferrea, verissimam potestatem in pastore suo esse negare nõ possunt. & Isaia 44. qui dico Cyro מַרְעִים id est, pastor meus es tu. Quo loco tamen non ministerium præbendi cibum, sed amplissimum regnum Cyro prædicitur.

DEINDE hoc idem efficacius demonstrari potest, ex eo verbo, quod Ioannes in Euangelio suo posuit. Scripsit enim ποιμαίνε, id est, pascere regendo & præsidendo. Nam & Homerus lib. 2. Iliad. frequenter vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum; & in Scriptura, vbi legimus Matth. 2. *Ex te mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israël*. In Græco est, ἐκ σὺ μοι ἐξελεύσεται ἡ γέμεν, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαὸν τῆς Ἰσραήλ.

Et notandum, in Hebræo apud Michæam cap. 5. vnde Matthæus accepit, non esse verbum מַרְעִים, quod pascere significat, sed verbum מַשִּׁיבֵם quod est dominari. מַשִּׁיבֵם לְיִשְׂרָאֵל. Denique Apocalyp. 19. vbi dicitur; *Et ipse reget eos in virga ferrea*, Græcè est, καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ἐλβεῶν σιδηρῶν. Igitur cùm ποιμαίνω non significet pascere quocunque modo, sed regere ac præesse; & Petro dictum sit à Domino, ποιμαίνε τὰ πρόβατα. manifestè sequitur, esse Petrum Rectorem ac Præsidem Ecclesiæ constitutum.

Accedant POSTREMO testimonia veterum Patrum. CHRYSOSTOMVS lib. 2. de sacerdotio, non semel vocat præfecturam, officium Petro commissum per illam vocem, *Pasce*,

see, idque explicat per illam aliam Scripturam Matth. 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* S. AVGVSTINVS in hunc locum: *Oves ipsas, inquit, pascendas, id est, docendas, regendasque committit.* Denique GREGORIUS in libro de cura pastorali, passim pastores vocat rectores, & curam pastorem regimen, immò & culmen regiminis; & ipsum pascere, regere, ac præesse interpretatur.

Neque LVTHERI ratiunculæ aliquid efficiunt. Ad PRIMAM enim iam responsum est, pascere non esse dapiferi officium, sed rectoris. Nec enim domini pascuntur à seruis, quamuis illi cibos ad mensas dominorum adferant, sed contra potius à dominis pasci dicuntur serui, quippe qui sumptibus dominorum viuunt.

Ad SECUNDAM respondeo, præesse ac subesse, regere ac regi, pascere & pasci, relationem quandam inter se habere, ita ut vnum sine altero esse non possit. Proinde quo verbo dicitur Petro, ut præsit, regat, pascat; eodem nos iubemur Petro subesse, atque ab eo nos regi & pasci sinere.

Ad TERTIAM respondeo, *Pasce*, esse præceptum quidem sed eo præcepto institui Ecclesiasticum principatum. significatur enim per actum ipsa potestas, vnde actus ille procedit. Quemadmodum cum Deus ait: *Germinet terra herbam viuentem, & animalibus: Crescite & multiplicamini, &c.* tunc tatem attribuit rebus, & naturas aptas ad generandum instituit. Nec solum Deus, sed etiam homines per verbum modi imperandi instituere solent præfectos. Si enim Rex dicat alicui; *Vade, rege talem prouinciam*, omnes intelligunt, eum præfectum esse constitutum eius prouinciæ.

» At, inquit LVTHERVS, si per illud præceptum instituitur
» pontificatus, ergo desinit esse Pontifex, qui desinit implere
» præceptum. RESPONDEO, per illa præcepti verba sic instituitur principatum, ut tamen potestas collata non pendeat ab observatione præcepti. Id quod etiam in rebus humanis videmus, nec enim Prorex desinit esse Prorex, donec à Rege nõ reuocatur, etiam si non rectè prouinciam regat.

Deinde nec est verum, quod assumit LVTHERVS, Romanos Pontifices à longo iam tempore non pauisse gregem. Nam tametsi plerique eorum non concionantur, tamen alios multos

multos exercent actus pastorales, dum ligant, solunt, dispensant, controuersias iudicant, Episcopos creant, & quod per se concionando non faciunt, per alios faciunt. Quemadmodum & Episcopus Hipponensis Valerius, & alij nonnulli vel senio, vel linguæ vitio impediti, per suos Presbyteros concionandi munus implebant.

linguæ vitio impediti

CAPVT XVI.

Quod illis verbis Ioan. 21. Oues meas, vniuersa Ecclesia significata sit.

TERTIA restat Quæstio, num per *Oues meas*, intelligatur Ecclesia vniuersa. Negant id Lutherani omnes, & præcipuè LUTHERVS, libro de potestate Papæ; Illyricus in libro contra primatum Papæ; Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 7. colum. 525. Liber SMALCHALDICVS de primatu Papæ, & CALVINVS lib. 4. Instit. cap. 6. §. 7.

Illyricus in libro est primatum papæ.

Nobis autem exploratum certumque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos ipsos Petro tanquam ouiculas commendari, cum ei dicitur: *Pasce oues meas.*

Est autem obseruandum, Christum bis dixisse: *Pasce agnos meos*, & semel; *Pasce oues meas.* Tamen enim in Græco textu semel est, *pasce agnos*, & bis, *pasce oues*: tamen corruptus videtur locus vitio librariorum, qui in secundo loco scripserunt *οὐλάτα*, cum scribere debuissent *οὐλάνα*, id est, ouiculas seu agnos. Facile autem fuit excidere vnum Iota.

in Græco textu corruptus locus est.

Ita esse, colligo primùm ex Ambrosio & Maximo. AMBROSIVS enim in cap. vlt. Luc. dicit, Christum primò commendasse Petro agnos, Græcè *ἀγνία*. Secundò ouiculas, quæ dicuntur Græcè *οὐλάνα*. Tertio oues, Græcè *οὐλάτα*. MAXIMVS serm. de sanctis Petro & Paulo, dicit, Petro ouiculas & oues commendatas. qui certe hoc non diceret, nisi legisset *οὐλάνα* & *οὐλάτα*. Deinde idem colligo ex nostra versione, nam si fuisset in Græco bis *οὐλάτα*, ne indoctissimus quidem puer secundo loco vertisset agnos. Quis enim ignorat, agnos dici *ἀγνία*, non *οὐλάτα*.

hh 5 Cùm